

*cibus corporis abstrahitur, competit futura praevidere.*  
8. Quod et in somnambulibus passim fieri cernimus; ergo.

Resp. ad 1. N. Haec enim non est nisi gratuita assertio, ut ex responsione ad singula facta quae asseruntur statim patebit.

Ad 2. D. Ita ut falsitatem augurii ostenderit eventus, C. secus, Tr. Imperium enim romanum occidentale ultra XII saecula perduravit ab urbe condita; orientale vero ad IX. circiter alia saecula. Si vero de Urbe tantum sermo sit, rursus patet falsitas augurii, nondum enim Roma excidit.

Ad 3. N. Hic enim Josephum ut in nonnullis aliis factis fabulam, sive commentum obtrudisse patet tum ex natura ipsius narrationis, tum ex Act. Apost. XII, 23; ubi Herodis Agrippae mors alia omnino ratione describitur saltem quoad causam; percussus enim ab angelo perhibetur. Consulatur non solum *Prolusio Joan. Harduini de nummis Herodiadum*, Parisiis 1695, sed ipse Ant. Van-Dale, qui eam Josephi narrationem omnino vellicat atque explodit (1).

Ad 4. D. Quatenus Deus adegerit demones ad idololatriae cladem ex Christi morte denuntiandam, C. alias, Tr. Transmissimus porro omnia facta ista ex parte historica, quia ex criticis regulis valde nutant (2).

Ad 5. D. Prophetiam late sumptam, C. stricte sumptam, N. De hac porro nos loquimur; et sic responsio patet ad ea quae 6. 7 et 8 objecta sunt, quare non opus est ut illa singulatim ad trutinam revocemus (3).

(1) In lib. *De orig. et progressu idolol.* c. 7, p. 157.

(2) Cons. Huet, *Demonstr. evang.* prop. ix, c. 156 (*Curs. compl. Script. sacrae* vol. II); Serry, *Exercit.* 57, n. VIII; Vossius, *De theol. gent. et physio. Christ.* lib. VIII, c. 5, ubi vindicat historiam hanc Plutarchi; sed exponit vel de demonis clade illata per Christum, vel de morte ipsius Christi. Cons. opp. tom. v, Amstelod. 1700.

(3) Consul. S. Thom. 2, 2, q. 172, art. 1, ubi citata Patrum dicta explanat, dicens: « Quod prophetica praecognitio potest esse de futuris dupliciter: uno modo secundum quod sunt in seipsis; alio modo, secundum quod sunt in suis causis. Praecognoscere autem futura, secundum quod sunt in seipsis, est proprium divini intellectus, cujus aeternitati sunt omnia praesentia, et ideo talis praecognitio futurorum non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina. Futura vero in suis causis possunt praecognosci naturali cognitione etiam ab homine. Sicut medicus praecognoscit sanitatem vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento praecognovit. » Quo posito fundamento, quod in corpore articuli evoluit, ad objectas sibi s. Augustini et s. Gregorii M. auctoritates ita respondet: « Dicendum quod anima, quando abstrahitur a corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxum spiritualium substantiarum, et etiam ad percipiendum subtiles motus, qui ex impressionibus naturalium causarum in imaginatione humana relinquuntur, a quibus percipiendis anima impeditur, cum fuerit circa sensibilia occupata. Et ideo Gregorius dicit quod « anima quando appropinquat ad mortem, praecognoscit quaedam futura subtilitate suae naturae, » prout scilicet percipit etiam modicas impressiones; aut etiam cognoscit futura revelatione angelica; non autem propria virtute; quia, ut s. Augustinus dicit lib. 12, c. 13. Super Gen. ad lit.: « Si hoc esset,

II. Inst. cum Rousseau. Ut ex prophetiis certum argumentum erui possit de divina revelatione, tria haec concurrant, necesse est; 1. ut nos testes simus prophetiae, cum editur, ne per vana figmenta decipiamur; 2. nec prophetiae tantum, sed et ejusdem adimplementi; 3. ut certi simus, quod eventus nec potuerit naturali via praevideri, nec fuerit fortuito casu cum prophetia conjunctus; atqui id vix ac ne vix quidem fieri potest; ergo.

Resp. N. M. et m. Prophetia enim est factum, et factum pariter est ejus adimplementum. Possumus igitur certi esse de ipsis non secus ac de ceteris factis jam praeteritis quibuscunque. Sed nec pauca aut minus illustria exempla suppetunt ex sacris litteris vaticiniorum, in quibus tres recensitae conditiones mirifice concurrunt, v. g. trina Petri negatio, resurrectio Christi, Jerosolymorum ac templi eversio, ut cetera omittam.

#### CAPUT IV.

##### DE EXISTENTIA DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS.

Si possibilis est supernaturalis divina revelatio, si necessaria, si certis characteribus ac notis discerni potest, prout adversus deistas ac rationalistas in superioribus capitibus nos evicisse confidimus, expendendum superest, utrum Deus homini defuerit, an vero eidem pro sua benignitate reipsa per supernam aliquam revelationem consuluerit. Negant deistae ac rationalistae; nos affirmamus. Agitur de quaestione facti, quae proinde monumentis dirimenda est. Moyses, Propheta, Christus se tanquam divinitus missos ad divinam hominibus patefaciendam voluntatem perhibuerunt; si itaque ex indubiis monumentis constabit, ipsos praeter doctrinae utilitatem et sanctitatem miraculis et vaticiniis missionem suam confirmasse, evidens erit, et ipsos fuisse divinitus missos, ac divinam esse revelationem seu doctrinam, quam ipsi hominibus proposuerunt; seu divinam supernaturalem revelationem existere et factam esse. Hoc porro est, quod ostendere aggredimur.

Priusquam vero manus operi admoveamus, praemittimus: 1. nobis firmum certumque esse, tum Moysen, Prophetas, Christum extitisse, tum genuinos ac veraces libros esse utriusque foederis. Sacrarum litterarum professorem adeat, qui vult cognoscere, cur ita credamus. 2. Christum esse finem legis mosaicae, *fnis enim legis Christus* (1), et centrum unicae tunc haberet, quandocumque vellet, in sua potestate

futura praecognoscere, quod patet esse falsum. » Haec quidem volumus per extensum referre, ut pateat a s. Doctore praecognita jam fuisse, quae postea magnetismi animalis patroni commenti sunt loquendo de somnambulismo a magnetismo excitato, de quo ipsi mira referunt.

(1) Rom. x, 4. *Τέλος γὰρ νόμου Χριστός*; subdit autem Apostolus: *εις δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι*, ad justitiam omni credenti, ex quo patet, quam sit abjecta et ridicula Rosenmülleri versio seu potius paraphrasis; ipse enim verba *τέλος γὰρ νόμου Χριστός* vertit: *Nam Christus sustulit legem mosaicam*. Ejusmodi enim liberis versionibus facile est obtrudere quidquid lubet.

illius verae religionis, quae a mundi primordiis ad consummationem usque saeculorum sese extendit, quemque Moyses et prophetae venturum praedixerunt, ad cujus adventum et cessare omnis mosaicae legis apparatus atque oeconomia, et synagoga repudiari, et gentes ad unius Dei cognitionem ac ejus mediatoris fidem vocari debuerunt. De quibus ex professo agemus in *Tractatu de Incarnatione*. Quare si nos ostenderimus miraculis et prophetiis, veterumque vaticiniorum, quae in sua divinae missionis confirmationem Christus protulit, adimplemento, Christum fuisse divinitus missum, ac si insuper divinam hanc Christi legationem confirmaverimus tum sanctitate et utilitate ipsius doctrinae, religionis a se institutae mirabili propagatione, martyrum constantia atque Ecclesiae conservatione, tria simul conficiemus atque obtinebimus; nempe 1. adversus deistas et rationalistas directe existentiam divinae ac supernaturalis revelationis in novo fodere per Christum factae, et indirecte hanc ipsam fuisse factam per Moysen et prophetas in lege veteri; 2. perfidiae judaeos, 3. superstitionis mahumetanos arguemus atque paganos. Hanc igitur utpote brevioris ac faciliorem viam ad finem, quo contendimus, assequendum, sectari constituimus in propositionibus, quas subjicimus.

PROPOSITIO PRIMA. — *Christus miraculis et vaticiniis, praesertim vero sua a mortuis resurrectione divina sui missionem comprobavit, seu divina facta est ac supernaturalis in Novo Testamento per Christum revelatio.*

Divina ac supernaturalis illius missio dicenda est, quae veris miraculis ac vaticiniis certissimis comprobatur: multo autem magis, si miracula et vaticinia ad propriae missionis ostendendam veritatem edita sint, cum illis omnibus adjunctis temporis, loci et personarum, ubi nulla fraus, nullus dolus, hallucinatio nulla esse aut fingi possit. Atqui ita Christus luculentissime suam a Patre missionem comprobavit. Major patet ex superius disputatis.

Minorem per partes evincimus. Ac I. quidem Christi miracula 1. nec pauca fuerunt, nec suspecta, vel in occulto patrata; etenim in vicis, in templo, in urbibus populi frequentia celeberrimis, coram ingenti multitudine plerumque acciderunt (Matth. IV, 25; XI, 5, etc. Marc. I, 32; II, 3; Luc. VII, 12 et alibi passim). Non modo genere sed etiam opibus ac dignitate inclytos viros quandoque ea respexerunt (Matth. VIII, 5; Marc. V, 22 et 25; Joan. IV, 46 et alibi). In tota regione sic apud omnes celebrata erant, ut vel de iis quandoque publica actione quaesitum sit (Joan. IX, 15 et XI, 47 et seqq.); vel principum virorum invidiam, regis curiositatem excitaverint (Matth. XXVII, 18; Luc. XXIII, 8); adeo ut si quid fraudis latuisset, statim et a callidioribus detegi, et iis doctibus patefieri necesse fuisset (1).

2. Prodigiorum multitudo commodam etiam occasionem veritatis explorandae suppeditabat, ac

(1) Cons. Spedalieri, op. cit. c. 3, art. 3, 4, 5, 6.

omne deceptionis periculum toties repetitis actibus eliminabat, unum enim, in quo praestigatoris opera deprehensa fuisset, reliqua suspecta reddidisset, praesertim cum Christus ad suam comprobendam missionem illa ederet, et ad ea adversarios suos provocaret (Joan. V, 36; X, 37-38; Matth. XI, 4 et alibi).

3. Tandem, ejus generis erant eventa, quae sensuum testimonio probarentur, ita ut rudissimus quisque e vulgo idoneus eorum testis esset: morborum genera quaeque uno verbo depulsa; membrorum perditus usus innumeris hominibus redditus, mortui ad vitam revocati, ac ejusmodi prodigia quandoque etiam in absentium beneficium patrata; ergo.

II. Quod vero attinet ad prophetias, eae pariter nec paucae sunt, neque obscurae, sed aperte ac definitae, quaeque vel completae sunt vel in dies complentur. Nonnullas speciminis gratia recensebimus. Christus evangelium per universum orbem promulgatum iri, ac futurum ut mulieris, quae caput ejus unguento delibuerat (Matth. XXVI), pietas ubique celebraretur; gentesque omnes legibus evangelicis se subjecturum promisit (Matth. XXIV, 14; Marc. XIII, 10; Luc. XXIV, 47; Joan. XII, 32). Haec cum Marcus et a fortiori Mathaeus scriberent, vix fieri coeperant, exitum cum mundi excidio sunt habitura. Apostolis se adfuturum, tum ut doctrinam inauditis prodigiis confirmant (Marc. XVI, 17; Joan. XIV, 12), tum ut constantiam ac fortitudinem praeserant, cum ab hebraeis atque ethnicis, coram regibus atque magistratibus velut impii atque sacrilegi, hostesque generis humani traducendi essent, disertis verbis spondet (Matth. X, 16; XVII, 19; XXI, 9; Luc. XXI, 12; Joan. XV, 20; XVI, 2). Apostolorum acta ex parte promissi liberationem continent, verum post exarata tria Evangelia maxima ex parte haec evenerunt (1).

Adversitatum fluctibus perpetuo jactatam Ecclesiam usque ad mundi exitum ac Petri successorum regimini obtemperantem perseveraturam esse vaticinatur (Matth. XVI, 18; XXIV, 35; XXVIII, 20). Vaticinium quotidie comprobatur eventus. Clarissimum insuper est Christi oraculum de Jerosolymorum excidio. Tres Evangeliorum scriptores, qui stante adhuc secundo templo atque Jerosolymitana urbe scripserunt, non uno in loco referunt (Matth. XXIII, 36; XXIV, 2; Marc. XIII, 2; Luc. XIII, 35; XXI, 6), cum omnibus suis adjunctis temporis (2), personarum (3), modi (4),

(1) Vid. 1 Cor. II, 4-5; 1 Thess. I, 5.

(2) Non praeteribit generatio haec, etc. (Matth. xxiv, 34; Luc. xxi, 32), anno autem 37 a Christi morte urbs templumque eversa sunt. Conf. Jos. Flav. *De bello jud.* lib. VII.

(3) Multi venient in nomine meo, etc. (Matth. xxiv, 5; Marc. xiii, 6). Jos. Flav. *De bello judaico*, lib. II, memorat Judam galilaeum et Theudam aegyptium quemdam aliosque veteratores, qui prodigiorum spe multitudinem in desertum pertractam in seditionem impulerunt. Post dirutam urbem novemdecim a Joan. Lensio in *Schediagmate de pseudo-messis numerantur*.

(4) Bellis atque tumultibus infaustum totum illud



signorum (1), eorumque omnium, quæ præcedere urbis templique eversionem debebant, eamque subsequi (2) usque ad mundi exitum. Quæ quidem omnia

tempus futurum erat (Math. xxiv, Luc. xxi). Tacitus (Hist. lib. 1, c. 2) illud vocat *opimum casibus, atrox præliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum*. Circa illud tempus in Judæa bellis civilibus ac seditionibus ultra ducenta hominum millia fuisse absumpta, in agro alexandrino fœdiorum judæorum stragem editam esse tradunt Josephus et Philo. Peste, fame atque terræmotibus vastatum iri orbem præsignavit Christus (Math. xxiv, Marc. xiii, Luc. xxi): *Erit fames valida, terræmotus; etc.*; Jam vero Tacitus, Hist. lib. 1, c. 2; Plinius, Hist. nat. lib. 11, c. 84 (in edit. Hard. c. 86), terræmotu Siciliam, Campaniam, Calabriam, Pontum, Macedoniam, Achaiam concussa subversaque fuisse tradunt. Fame vexata Judæa est Act. xi, de qua Jos. Flav. *Archæol.* lib. xx, c. 12. Triplex in Italia fames commemoratur; prior sub Claudio universum orbem populata est, testibus Suetonio et Dione in *Claudio*, et Tacito, *Annal.* lib. xii, c. 45; altera sub Nerone, qua Romæ triginta hominum millia perierunt, teste Suetonio in Nerone; tertia memoratur a Tacito, *Annal.* lib. xvi, c. 13, atque anno 66 æræ vulgaris contigit.

(1) *Terrores de celo et signa magna erunt* (Luc. xxi). En quid referat Tacitus, Hist. lib. V, c. 15: *Visæ per noctem concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum, expansæ repente delubri fores, et audita major humana vox excedere Deos; simul ingens motus excedentium.*

(2) 1. Multa mala (Math. xxiv, Luc. xxi) a judæorum odio perferenda nunciat apostolis: *Persequuntur eos trahentes in Synagogas, etc.* Revera Stephanum et utrumque Jacobum interemerunt; Petrum, Paulum, Joannem in vincula conjecerunt; ubique gentium plebis ac principum animos in apostolos concitaverunt. 2. Hostes mœnibus castra admoturi urbem obsidione circumdaturi esse dicuntur (Luc. xix, 45): *Circumdabunt te inimici tui vallo, etc.* Ante urbis excidium anno iv Cestius Gallus legiones in urbem adduxit. Bellum deinde nunquam intermissum, donec Titus muros in orbem exstruxit contra ipsos urbis muros, quod plane inusitatum est in obsidionibus. 3. In montibus perfrugium quaerere monentur (Math. xxiv): *Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Tutum revera in montanis regionibus perfrugium christianos in oppido Pellæ reperisse, tradit Eusebius loc. cit. 4. Cædibus, fame, peste, populum intra obsessam urbem absumptum iri docet Luc. xxi; nutrientibus præsertim fœdum aliquid et miserabile imminere, Math. xxiv, *ve nutrientibus, etc.*; captivorum post excisam urbem ingentem multitudinem abductum iri, Luc. xxi. Atqui, Josepho teste, *De bello jud.* lib. vi et vii, intra paucos obsidionis dies, sexaginta funerum millia elata sunt; passim projecta mortuorum corpora in cibum viventibus cesserunt; a lactente puerulo nec manum nec dentem impia mater abstulit: toto tempore obsidionis undecies centena hominum millia desiderata sunt, et nonaginta millia abducta. 5. Imminentis excidii signum, *Cum videritis abominationem, etc.* (Math. xxiv). Primum Claudius idolum inferri jussit, postmodum jam obsessa urbe Zelotes in interiori templi adyto velut in arce constituti fœda omnia patrarunt. 6. Ne lapis quidem super lapidem post templi eversionem mansurus esse dicitur (Math. xxiv), urbs a gentibus conculcanda, usque dum impleantur tempora nationum, captivi per orbem universum dispergendi judæi (Luc. xxi). Et invito imperatore miles templo flammam admovit, ut testatur Jos. *De bello jud.* lib. vii. Hadrianus Æliam, quæ pristinum Jerosolymorum nomen deinde recepit, ex altero montis latere ædificavit. Julianus templum excitare cogatus voti compos fieri nequivit. Miserrandæ judæorum dispersionis testes ipsi sumus. Ita sanguis

adamussum, partim adimpleta esse ex historicis illorum temporum, Josepho Flavio, Tacito, Plinio et Suetonio novimus; partim adimpleri nos ipsi ceruimus oculis nostris; adhuc enim urbis templique ruinae permanent, non obstantibus Juliani imperatoris conatibus (1), ac miseranda adhuc perdurat judæorum dispersio.

III. Utramque præterea minoris propositi argumenti partem per resurrectionem Christi, quæ simul et præclarum vaticinium et miraculum stupendum fuit, imo et aliorum vaticiniorum et miraculorum veluti sigillum, mirabiliter confirmamus. Christus enim se tertia die resurrecturum ex tumulo spondit (Math. XII, 40; XX, 49; Marc. IX, 50; X, 34; XIV, 28; Luc. XVIII, 33; Joan. II, 19). Vulgatum erat apud hebræos hoc Christi oraculum (Math. XXVI, 64; XXVII, 40). Idcirco ad tumulum posite excubiæ (Math. XXVII, 65). Hoc vero vaticinium, antequam evangelium conscriberetur, effectum suum sortitum est.

Hoc porro resurrectionis factum comprobatur 1. ex apostolorum testimonio, qui non dubitarunt vitam exhibere in ejas confirmationem; 2. a plusquam quingentis fratribus (I Cor. XV, 6), quorum aliqui adhuc in vivis erant sub Trajano imperatore; 3. ex omnibus apostolorum prodigiis, quæ patrata sunt in confirmationem resurrectionis Christi (Act. III, 15-16); 4. ex iis omnibus, qui ex judæorum atque ethnicorum castris ad Christi disciplinam accesserunt, qui propterea præconcepas opiniones excuere, avitam religionem ejurare tenebantur, et ærumnis periculisque plenam vitam agere cogebantur, vitamque ipsam plerumque profundere. 5. Saltem indirecte ex agendi ratione judæorum cum apostolis testantibus veritatem resurrectionis Christi, et cum excubiis ad tumulum positis, in ipsas enim nec animadverterunt nec eas puniverunt, quod tamen facere debuissent, si ex ipsarum socordia Christi corpus ab apostolis raptum fuisset. 6. Ex eorum tacita confessione; etenim longe lateque famam Christi resurrectionis manasse, atque revera sepulchrum vacuum repertum fuisse assentiuntur judæi apud Origenem, lib. I. *Contra Celsum*, et Agobardum, *De judæis superstitionibus*, tum in impurissimo libello *שֵׁן הַדָּתָא* sive *Generationum Jesu* (2). Cum vacuum illud sepulchrum vesanas eorum mentes mire

interfecti Salvatoris in eorum, qui interfecerunt, caput recidit, prout ipsi sibi ominati fuerant. Hæc fusius prosecuti sumus, ut prava rationalistarum fides in propatulo poneretur, qui, ut vidimus, non satis definitam hanc Christi prædictionem effutire ausi sunt.

(1) Cons. Warburton, *Dissertation sur les tremblements de terre et les éruptions de feu, etc.* Paris 1764, trad. de l'anglais.

(2) Qui reperitur ultimo loco in collectione edita a Christoph. Wagenseilio sub titulo, *Tela ignea Satanae*, Aldorffii Noric. 1681. Hæc ipsa miracula Christi Jesu fatentur hebræi in tractatu *Avoda Zara in Gemara Hierosol.* fol. 40, atque in eodem tractatu in *Gemara Babyl.* fol. 27, 2. in tract. *Sabbath.* fol. 44, 4. *Me-drasc Koheloth*, fol. 75, 1. Cons. de Rossi, *Della vana aspettazione degli Ebrei*, c. viii, § 7.

torqueat, hinc alii Christum noctu sublatum a discipulis, alii per urbem raptatum avibusque dilacerandum projectum, alii Judæis ipsis, ne magicam vim discipulis inderet, occultatum fuisse, demum absurdissima quæque comminiscuntur. Verum Christum et e cruce depositum, et in horto quodam sepulchro illatum, et custodes tumulo appositos, et nihilominus sepulchrum vacuum repertum esse nobis concedunt.

Iis coronidis loco addimus: 1. judæos Christi miracula fateri, tum in locis citatis, tum in tractatu *Sanhedrin*, licet ea vel magicæ arti vel aliis causis adscribant, imo nec dissentire nec abnuere Jos. Flavium (1). 2. Nec ab ipsis ethnicis ea unquam in dubium revocata fuisse, adeo ut apologetæ eorum veritatis vindicias nunquam suscipere debuerint. 3. Acerbissimos christiani nominis hostes, Celsum, Porphyrium, Hieroclem atque Julianum illa ut certa supponere, licet magicæ arti ea et ipsi adscribant, ut videre est apud Huetium in *Demonstratione evangelica* (2).

## DIFFICULTATES

*Adversus Christi miracula et vaticinia.*

I. Obj. adversus miracula. 1. Nullum potest argumentum ex Christi miraculis erui, si ea suspecto nitantur testimonio; tale autem esse testimonium apostolorum, plura demonstrant. 2. Etenim apostolis, qui ea referunt, utile fuit mendacium; 3. præsertim eum possent exinde ingentem sibi gloriam comparare vel saltem sperare. 4. Falsum præterea est, omnes apostolos morte violenta occubuisse, hinc frustra eorum constantia in medium profertur ad veritatem miraculorum confirmandam. 5. Dato etiam, quod omnes revera cæsi fuerint, nulla tamen quæstio de Christi gestis habita est; superstitionis, impietatis,

(1) *Archæologia*, lib. xvii, c. 3, n. 3, edit. Havercamp. Valde agitata esse ab eruditissimis hoc testimonium non ignoramus. Pluribus enim suspectum est; eorum argumenta retulit Andr. Bosius in *Exercitatione historico-critica in periocham Josephi de Jesu Christo*. E contra Natalis Alex. Huetius, Valesius, Pagius, Caveus alique primi subsellii critici eam acerrime tuentur. Animadvertendum porro est, nec ante Eusebium a quopiam unquam prolatum hunc locum, nec post Eusebium usque ad Tanaquilium (seu potius Fabrum) sæculo xvi in dubium revocatum, sed et a Photio in recensione Antiquitatum omitti; nimis videri disertum testimonium Josephi de Christo, luculenter nimis vetera prophetarum oracula Christo accommodare, alieno loco insertam hanc clausulam videri. Contra vero, hæc sublata, Josephi fidem, historięque integritatem desiderari, cum nulli Jesu mentio facta sit, præsertim cum loquens de Jacobo, eum fratrem Christi vocet. Quare Wagenseilius in *Pera librorum juvenilium*, pag. 189, Iuigius in *Proleg. ad Joseph.*, Le Moine in *Variis sacris*, pag. 951, Fabricius *Bibl. græc.*, lib. vi, eam non intrusam sed interpolatam fuisse rati sunt. Quidquid sit, aut testimonium Josephi recipitur, aut rejicitur. Si recipitur, ut omnia suadent, nobis favet. Si rejicitur, rursus nobis favet, cum alia tam alti silentii ratio assignari non possit, quam ipsum noluisse christianis suppetias ferre, nec aliquid habuisse, quo præclara Christi gesta potuisset obscurare. Cons. *Diss.* Havercamp. sub finem n. vol. opp. Jos. Flav.

(2) Prop. ix. (Vid. vol. II *Curs. compl. Scripturæ sacræ*.)

veneficii damnati sunt. 6. Denique *notum est*, inquit Freret, ex Luca, quia ubique sectæ huic contradicitur; ergo.

Resp. ad 1. *C. M. N. m.* nempe suspectum esse testimonium apostolorum. Addo falso supponere adversarios soli apostolico testimonio inuiti Christi miracula. Nos contrarium ostendimus (1).

Ad 2. *N.* Siquidem utile non fuisset in hac vita patriam, parentes, amicos, familiares deserere; nullo otio aut securitate, nec certa sede frui; non solum maledictis, verum etiam verberibus proscindi, sæpius egere, ac famem, vincula, squaloremque carcerum pati, ac mortem crudelissimam obire. Hæc prius in deliciis habenda et inter humanas jucunditates essent recensenda. Neque id utile ipsis post mortem esse poterat in altera vita, cum mendacium in re gravissima æternis suppliciis mulctandum esse et scirent et profiterentur.

Ad 3. *D.* Si fucum facere sperare potuissent, et propria improbitate in doli suspicionem se nunquam venturos, potuissent sibi blandiri, *Tr.* vel *C.* secus *N.* Jam vero agebatur de factis publicis quæ statim examinari potuissent, quæque propterea ipsi supponere nullo modo poterant, quin uti mendaces ab omnibus haberentur.

Ad 4. *D.* Non omnes reipsa mortem pertulerunt, *Tr.* vel *C.* si sermo sit de Joanne; non omnes ejus oppetendæ discrimini sese objecerunt, *N.* Ceterum Clem. Alex. (2) testatur, *omnes pro ecclesiis, quas fundarunt, passos esse*. Id ipsum confirmat vetus auctor (3), et æque constans christianorum sententia est.

Ad 5. *D.* Nulla quæstio de Christi gestis habita est, quia de publicis notissimis factis agebatur, de quibus nunquam quæsitum tormentis est, *C.* quia de his non agebatur *N.* Ad illud, quod subditur, *superstitionis, etc. damnati sunt*; *D.* quæ tamen religio superstitionis, impietatis, magiæ, blasphemiæ tum a Judæis tum ab ethnicis odiosis appellationibus insimulabatur, ea Christi prodigiis factisque innititur, *C.* secus *N.* In eo tota quæstio versabatur, in eo institerunt apostoli. Cur Judæi atque ethnici ab hoc quæstionis statu elapsi sunt?

Ad 6. *D.* Quoad doctrinam; *C.* quoad facta *N.* Hæc enim Judæi agnoverunt, ut ostendimus. Ceterum plurimi ex judæis fidem susceperunt.

(1) Cons. Eusebius, *Demonstr. evang.*; et ex recentioribus Dominique De Colonia S. J. *La Religion chrétienne autorisée par le témoignage des anciens auteurs payens*, Lyon 1718, Houtteville, *La Religion chrétienne prouvée par les faits*; Addison, *De la Religion chrétienne, avec les notes du seigneur de Correvon*, Lausanne 1757; Bullet, *Histoire de l'établissement du christianisme tirée des seuls auteurs juifs et payens*, Paris 1764; Duvoisin, *Démonstration evang.* Paris 1802; Mayer, *Specimen defensionis et expositionis historię Jesu Christi et Apostolorum ex græcis et romanis scriptoribus profanis, germanice*, 1805.

(2) *Stromat.* lib. iv, c. 9. *ὁ μνησθέντων οἱ ἀπόστολοι... ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, ὡς ἐπέκειν, ἐπαθόν.*

(3) *Epist.* sub nom. S. Ignatii ad Philipp. c. ix, *Ἔτι τῶν Κοριθαίων καὶ συνειρηθῶν.*



1. Inst. 1. Si vera essent Christi miracula, quæ in evangelica historia recensentur, Judæorum primores amplexi christianam religionem essent; atqui nonnisi plebei, qui patulas fabellis aures gerunt, iis crediderunt; 2. qui propterea Christi fidem suscipientes nullum examen veritatis factorum instituerunt. 3. Ceterum veteres omnes historiae fabulis scatent, hinc et evangelica, quæ et ipsa mythicam suam originem redolet; 4. satis enim id liquet ex eo, quod doctores ethnici ipsam impugnaverint; 5. quod nec christiani quidem omnes evangelicæ historiae assensi sint. 6. Quæ quidem duobus præsidiiis mirifice confirmantur; ut enim observat Freret, ethnicorum, qui calumiam in christianos exercuerunt, opera deperdita sunt; fragmenta tantum ab apologetis servata, quæ non magnam christianis molestiam exhiberent, ergo evangelicam historiam ad trutinam revocarunt, et utpote fabulis refertam refellerunt. Alterum est, quod hæretici apostolici emendatores apostolorum se gerebant; ergo docebant contraria.

Resp. 1. Ad 1. D. M. Si ira, odio, invidia, cupiditatibus impulsus, et præconcepitis opinionibus excæcati, a veritate oculis minime avertissent, ut innumeri quotidie ex incredulis avertunt, C. quasi falsa essent, quæ de Christo referuntur præclara gesta N. Recolantur superius dicta (1). Neg. etiam min. Jairus enim, Nicodemus, Zachæus, Lazarus, Joseph arimathæensis, multi ex principibus viris et ex sacerdotali ordine (Joan. XII, 42; Act. VI, 7), Crispus archisynagogus, Sosthenes synagoge princeps, Apollo vir factundus (Act. XVIII, 8, 17, 24), Paulus ipse, non erant de plebe viri. Resp. II. D. min. Et viri plebei non satis idonei testes esse poterant veritatis miraculorum, N. secus Tr. Dummodo bonis oculis et auribus essent instructi, æque idonei testes esse poterant ac divites et nobiles doctique homines.

Ad 2. N. Nunquam enim absque accuratissimo examine quisquam voluptatum atque cupiditatum illecebris obdurescit ac certo fortunarum ac vitæ discrimini se objicit, imo et istud subit, ut debuerunt facere ii omnes, qui Christi religionem amplexati sunt.

Ad 3. Tr. et N. cons. quoad historiam evangelicam, ob peculiare rationes a nobis allatas. Agitur enim in ea de factis publicis, quæ sub omnium oculis evenerunt, et quæ referuntur ab auctoribus fide dignis ac testibus de visu, ut Matthæus et Joannes sunt, vel ex depositione eorum, qui iis interfuerunt, ut Marcus et Lucas. Adde nunc veterem factam esse historiam evangelicam; verum eo tempore, de quo disputamus, recentem fuisse, ætatemque, in qua conscripta fuit, litteris floruisse; mythicam proinde originem nullo modo redolet, ut dietitant increduli rationalistæ; sed omnes præsefert veracitatis et ingenuitatis notas intrinsecas atque extrinsecas (2).

(1) Vid. Cl. Bern. de Rossi, *La vana aspettazione degli Ebrei*, etc. c. 8, § 58.

(2) Cons. Houtteville, *La Religion*, etc. tom. IV, liv. 3, Diss. 4; Cellerier, *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament*, Genève 1825. part.

Ad 4. D. Doctores ethnici libidine ac luxu corrupti, sapientiæ fama tumidi, honorum divitiarumque cupidi, aures apostolis non præbuerunt, novam doctrinam contemnentem, C. impugnaverunt, subd. doctrinam, C. facta N. Ceterum ex ethnicis plures docti christianam religionem secuti sunt, ut Sergius Paulus (Act. XIII, 12), Dionysius Areopagita (Act. XVII, 34), Clemens romanus, Hermas, Ignatius, etc. Fasti ecclesiastici sæculi II nomina exhibent plurimum, qui genere, opibus, doctrina claruerunt (1).

Ad 5. D. Id est hæretici evangelicæ historiae assensi non sunt, in quæstione juris, C. facti N. Nempe ea ratione primi hæretici se gesserunt ac se gerunt hæretici protestantes ætatis nostræ, præsertim biblici ac rationalistæ, qui propria sensa Ecclesiæ auctoritati præferentes in absurda omnia lapsi sunt, ut suo loco expendemus (2).

Ad 6. N. Ad 1. prob. *Ethnicorum qui calumiam*, etc. Resp. 1. Dato etiam, quod adversarii supponunt, negamus alterum ex altero sequi; ex ignotis enim ducunt argumentum. Resp. 2. Juliani imperatoris opera ferme integra supersunt (3); ex his porro liquet, quod semper doctrinæ, non autem historiae evangelicæ detraxerint ethnici. Ad 2. prob. *Hæretici apostolici*, etc. D. Quoad theoretica systemata, C. quoad res gestas, prout sensuum, hominumque testimonio comprobantur N.

II. Inst. rationalistæ: 1. « Scriptores sacri ea enarrant, in quibus partim fides testium desideratur (4); vel 2. res vere factas et judicium suum de

1, sect. 1. *De l'époque où les livres du Nouveau Testament ont été écrits et de leur authenticité*, pag. 2 et seqq. Wegscheider op. cit. p. 1, c. 9, § 42, n. a. de mythis post Seidenstücker, Eichhorn, Meyer, Bauer, Kaiser, etc. hæc habet: « Accedit quod primæ religionis christianæ origines in ea tempora incidunt, in quibus hominum animi *δυσωπιστία* et miraculorum opinione imbuti essent ita, ut eventus præsertim extraordinarii, sed cum naturæ legibus facile conciliandi (ut ipsi autumant), causas habere extra rerum naturam constitutas immediatas comminiscerentur, eorumque errorem in ipsa rerum narratione proderent (ut ipse affirmat et non probat)... varias autem de Jesu narrationes mythicas jam inde a medio sæc. i circumlatas fuisse, evangeliorum apocryphorum (quæ tamen ecclesiæ constanter rejecit) argumentum satis declarat ». Possent tamen et hoc negari; aliud enim est, nonnulla facta esse falsa et conficta, aliud esse mythica in sensu adversariorum. Cons. *Codex apocryphus N. T. Fabricii*.

(1) Cons. S. Hieron. *De viris illustribus*, seu *De scriptoribus ecclesiasticis*, in præfat.

(2) Hæc ad rem nostram præclare scribit Tertull. lib. *De præser.* c. 37: « Unde autem extranei et inimici apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recepit? »

(3) Edita a Petavio, anno 1615, ac rursus ab Ez. Spanhemio, Lips. 1696, præter aliam collectionem, quæ edita est Parisiis 1650.

(4) Ita Gurlitt., *Or. de usu libror. sacr. ad humanitatem et omnem doctrinam liberalem excolendam vario et multiplici*, Hamb. 1803, pag. 50. Krummacher. *Ueber den Geist und die Form der evang. Geschichte*, seu *De spiritu ac forma hist. evang.*, Lips. 1805, pag. 86 et seq. *Briefe über den Rationalismus*, seu *Epistolæ de rationalismo*, pag. 538 et seq. 555 et seq.

iis in narrando confundentes; vel 3. traditionem sequentes, mythos tradunt; 4. partim eventus narrant a veris naturæ legibus pro se nihil abhorrentes; 5. aperte denique profitentur, discrimine haud facto inter miracula vera et falsa, 6. tum doctrinæ veritatem non pendere ex miraculorum auctoritate (Matth. XII, 27; XXIV, 24; Marc. XIII, 22; Luc. IX, 49; XI, 19; Gal. I, 8, II Thess. II, 9; addatur Matth. XI, 11; Luc. XVI, 27 et seqq. Joan. XIV, 10 et seqq. XX, 29), ac de illa prius constare debere, quam de miraculo judicari plene ac tuto possit, 7. tum Jesu Christi apostolorumque facta mirabilia, quæ ad sanandos hominum morbos potissimum pertinuerunt, Jesu ipso teste, a popularibus similiter effecta (Luc. XI, 19; Joan. XIV, 12); 8. ne spectatorum quidem excitasse fidem, adeo ut potius incredulitatem eorum fovendo (Matth. XVI, 1; XXI, 26; Marc. VIII, 2; Joan. VI, 2 et seqq. VII, 5; XI, 46 et seqq.); 9. a qua ne apostoli quidem plane immunes fuere, quippe quibus ipsius Jesu miracula certam fiduciam facere haud valuerint (Luc. XXIV, 21 et seqq.), vel ad Jesum crucifigendum judæos adducerent (Act. II, 22 et seqq.). 10. Neque ullo modo cogitari potest narrationes de istis miraculis post complura sæcula ad certam persuasionem induendum majorem vim habere posse quam illa miracula apud eos, qui ea oculis cernebant, habuisse historia testatur. 11. Jesum ipsum fidem miraculis suis, quibus majora a cultoribus suis expectanda promisit (Joan. XIV, 12) excitandam strenue repudiasset (Matth. XII, 59, et seqq. XVI, 1-4; Marc. VIII, 12; Luc. XI, 29; Joan. II, 18, 19; IV, 48; V, 59; XIV, 12; add. Marc. V, 45; Luc. VIII, 56), quod quidem aliis effatis haud bene convenit. 12. Accedit quod persuasio de veritate miraculorum tanquam eventuum *supernaturalium* gravissima veræ virtuti detrimenta affert, ipsamque legis moralis sanctitatem infringit. 13. Sola igitur biblica miraculorum notio admittenda est, qua providentia divina ita eventa illa instituit, ut ad fines optimos consequendos conducerent. 14. Ipso Christo præeunte (Matth. XII, 58 et seqq.; XVI, 1-4; Joan. IV, 48; VII, 17; VIII, 31; XIV, 11), non tam inter argumenta, quam inter incitamenta multitudinis inculcioris ad veritatem cognoscendum recte referuntur (1).

Resp. ad 1. N. Nam vel ipsi, quæ referunt, factis interfuerunt, vel ab iis, qui immediate ea viderant, acceperunt; *assecuti omnia a principio diligenter*, ait s. Lucas, quare nunquam in dubium revocata.

Ad 2. N. Sed facta, prout contigerunt, miro animi candore referunt, ut cuique ea legenti patebit.

Ad 3. N. Non enim juxta perversa rationalistarum placita, sed ex mente sacrorum scriptorum et totius antiquitatis sensu, scripturam exponere debemus. Nam novum et recens est hoc inventum, ex eo potissimum ortum, quod tumidi isti sapientes libros sacros ad profanos exegerint non sine impietatis gravissimæ culpa (2).

(1) Ita Wegscheider op. cit. part. 1, c. 2, § 49.

(2) Hanc recte dixeris ideam fixam (insaniam) neo-

Ad 4. N. Cum vero in nota exemplum ducant ex Matt. IX, 24, ubi perhibetur excitatio a mortuis filie Jairi, et Joan. IX, 6, 7, ubi cæcus natus sanatur, patet impudentia istorum veteratorum, dum affirmant, quod nonnullis miraculorum narrationibus CERTA insunt documenta, quæ naturalem effectum produunt (1). Excitent ipsi defunctum qualemcumque, vel luto visum cæco nato restituant!

Ad 5. N. Hæc enim est gratuita assertio.

Ad 6. D. A falsis miraculis veritas seu potius divinitas doctrinæ non pendet, C. a veris N. Sæpe enim, ut videmus, Christus ad ista adversarios provocat. Matth. XII, 27 argumento ad hominem utitur ad impactam sibi calumniam repellendam, quod in Beelzebub eieceret dæmonia; ibid. XXIV, 24. prædicat præstigias futuras pseudoprophetarum, ut ex Paulo vidimus, qui utitur phrasi (II Thess. II, 9) *ἐπεσε φερόδους*. Hinc responsio patet ad locum parallelum

tericorum protestantium biblicorum et rationalistarum, qui ubique vident mythos. En quomodo disserant: « Mythos sacros intelligimus narrationes in antiquissimis monumentis institui alienius religiosi traditas, in quibus, ut est captus rudiorum ingeniorum, naturæ quædam supra humanam naturam fastigium positæ sic inducuntur agentes, ut modo legibus naturæ contrario nonnulla moliantur et efficiant. Ejusmodi mythos in religionibus paganorum (æque atque in monumentis judaicæ et christianæ religionis) antiquissimis reipsa reperiri, ab iis negari nequit, qui progressus disciplinarum historicarum, philologicarum et philosophicarum non ignorant, nec mentis quadam imbecillitate ducti easdem res iisdem nominibus appellare dubitant (id est, dummodo sint impii et increduli; ceterum Petavio, Huetio, Bossuet, Muratorio aliisque innumeri doctissimi viri, licet illas omnes disciplinas probe calluerint, nil tale deprehenderunt; hoc reservatum erat solis rationalistis). Quum vero menti humanæ necessario hæc lex sit proposita, ut omnia, quæ in orbe terrarum sensibus subjiciuntur, referat ad nexum causarum, et temporis successu et in spatio agentium, omnes ejusmodi mythi ad normam artis criticæ atque historicæ exigantur necesse est. Quò facto homines pii religionisque sensu imbuti, quominus in ipsis rebus mythice traditis divinam providentiam, naturalibus tamen præsidiiis ac causis utentem, venerentur et tacito quodam sensu, agnoscant, minime prohibetur (præclaram veniam!). Absque illo autem examine fieri non posset, ut in antiquissimis libris superstitiosæ narrationes a veris rerum eventibus dignoscerentur (nego suppositum in libris sacris). Ac nisi ejusmodi mythos in scriptura sacra reperiri statuerimus, et veritatem ipsam divinam in iis latentem ab externa narrantium forma et involucri probe discernimus (nego iterum suppositum), librorum scripturæ sacre auctoritas contra adversariorum calumnias et opprobria haud satis defendi potest (non est quod hoc vereantur delicati rationalistæ, semper enim defensa est absque ejusmodi deliramentis). In explicandis mythis biblicis hoc potissimum considerandum est, librorum sacrorum auctoribus observatam esse opinionem theocraticam ejusdem immediatæ, vel potestatis divinæ, sive a Deo ipso sive per angelos administratæ, et si qua inciderant mala majora sive physica sive moralia, ea, in libris N. T. præsertim, ex opinione illius ætatis vulgari ad Satanam ejusque socios (tanquam horum malorum primos architectos et antistites referri. Ita auctores loc. superius cit. In postremis his verbis tot fere sunt mendacia, quot verba.

(1) *Briefe über den Rationalismus*, seu *Epistolæ de Rationalismo*, p. 215.



Marc. XIII, 22. Luc. autem IX, 49, sermo est de aliquo eiciente demonia in nomine Christi, in quo nulla est repugnantia, nihil inconueniens. Textus Luc. XI, 49 est parallelus Math. XII, 27, de quo supra. Cetera loca citata vel non sunt ad rem, cum sermo non sit de miraculis, ut Gal. I, 8, vel sunt contra ipsos, ut II Thess. II, 9; atque hinc patet rursus recta rationalistarum fides.

Ad 7. *N.* Nec illud evincunt loca citata ab adversariis, Luc. enim XI, 49, sermo est de argumento ad hominem, de quo supra ad 6. Joan. XIV, 12, nil tale habetur, quod ipsi fingunt; en verba: *Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Adde alteram ideam fixam esse neotericorum biblicorum protestantium, perinde esse demonia eicere ac morbos depellere. Coronidis gratia, atque ad detegenda plenius mendacia adversariorum, addo, Joan. III, 2, Nicodemum de Christo dixisse: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis,* et Joan. XV, 24, Christum ipsum dixisse: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* ergo rursus falsitatis arguuntur et malæ fidei.

Ad 8. *D.* in pluribus *N.* Omnes enim qui crederunt in eum, miraculis ad credendum sunt adducti; recolantur nuper dicta ex Nicodemo; in omnibus *Subd.* Quia aliud est convinci aliud converti, *C.* quasi unum sit *N.* Causas jam adsignavimus, quare veritati plures obstiterint ac propriæ convictioni.

Ad 9. *D.* Circa peculiare factum resurrectionis, de quo postea, *Tr. vel C.* circa alia *N.* Adde s. Lucam XXIV, 21, loqui de solis duobus discipulis Emmans castellum petentibus.

Ad 10. Responsio patet ex dictis in solut. ad 8; eadem enim ratio suffragatur presentibus ac prioribus illis, qui increduli fuerunt tempore Christi, per-versa nempe cordis dispositio.

Ad 11. *N.* Hoc enim est novum mendacium. Nam Christus, ut supra videmus, provocat semper ad miracula sua, ut suam ostendat missionem; quomodo igitur strenue repudiavit miracula ad fidem excitandam? Ex locis adductis adversarii aliud non evincunt, nisi Jesum pro lubito incredulorum signa facere noluisse, cum tot fecisset, et eos remisisset ad maximum ex miraculis a se faciendum in sua resurrectione; alia ad rem non faciunt, ut cuique loca illa percurrenti constabit.

Ad 12. *N.* Cum autem contenti sint adversarii gratuita assertionem, vel ad summum alterius rationalistæ sive increduli, Kantii nempe auctoritate, hinc satis nobis est, eam negare. Poteritne Deus contrarius esse veræ virtuti ac sanctitati, dum tot per servos suos prodigia patravit?

Ad 13. *D.* Prout intelligitur ab ecclesia et a tota antiquitate, *C.* prout intelligitur a neotericis biblicis protestantibus et rationalistis, qui totam revelationem subvertunt *N.*

Ad 14. *N.* Hoc pariter putidum mendacium est. Christus enim non solum ad incitamentum sua proposuit miracula, sed ad *validissimum argumentum.* *Si opera non fecissem,* inquit (Joan. XV, 24), *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* et ibid. X, 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite,* et alibi passim; ac proinde sæpe adeo ea vocavit *signa* vel *opera* antonomastice, nec soli multitudini imperitorum, sed doctoribus ipsis inter judæos proposuit, ut patet ex verbis Nicodemî, quæ adduximus, ex sanatione manus aridæ coram pharisæis et scribis, Math. XII, 10; Marc. III, 4; Luc. VI, 6 (1).

II. Obj. Vaticinia, quæ Christo tribuantur, potuerunt naturali lumine cognosci, vel saltem e naturali rerum sibi succedentium serie erui, vel fortuito casu compleri; ergo.

Resp. *Neg. antec.* cum agatur de rebus, quæ a libera hominum voluntate pendeant, et quidem de eventibus enuntiatis ac definitis in suis adjunctis etiam minutissimis, ut ostendimus, imo et hominibus maxime obsistentibus, ut ex irritis Juliani conatibus patet.

Inst. Saltem non omnem sunt effectum sortita Christi vaticinia, plures enim in paganismo adhuc versantur nationes.

Resp. *D.* Quia lex evangelica per gradus quosdam debebat patefieri et admitti, *C.* secus *subdist.* quæ tamen in dies effectum sortiuntur, et in mundi exitu perfecte complebuntur, *C.* alias *N.*

## DIFFICULTATES

## Contra Christi resurrectionem.

I. Obj. 1. Apostolorum testimonium ad adstruendam Christi resurrectionem insufficientis per se est; 2. addicti enim erant Christi scholæ ac magisterio; 3. nec haberi possunt nisi ut testes singulares, cum nonnisi singuli ad provincias singulas se contulerint. 4. Ceteri qui de Christi resurrectione scripserunt vel testati sunt, ut Marcus, Lucas, Paulus, eam nonnisi per traditionem cognoverunt; ergo.

Resp. ad 1. *N.* Ipsorum enim probitas nunquam in suspicionem venit; adeo constantes in hoc ferendo testimonio fuerunt, ut non solum incommoda et ludibria et probra quæque pertulerint, sed et sanguinem ac vitam ipsam profundere non dubitaverint. *Neg.* præterea suppositum, solos nempe apostolos testes fuisse resurrectionis; plusquam quingentos numeravit Paulus; recolantur probationes.

Ad 2. *D.* Qui proinde mentiri non poterant ex suis principiis, *C.* secus *N.* Notandum præterea est, mendacium ipsis emolumenti nihil afferre potuisse, et ipsos detrimenta maxima fuisse ex eo laturos; neque, non supposita rei veritate, uaquam vel

(1) En, quomodo impudentibus mendaciis et gratuitis assertionibus magni isti nominis viri contentis ac violentis interpretationibus magnifico autem levisimæ eruditionis apparatu, juventuti illudant. Fastidium revera creat istorum commenta persequi; sed interea religionis fundamenta subruunt. Liceat repetere: En protestantismi fructus!

sperari potuisse animo concipere se factum facturos.

Ad 3. *D.* Cum per orbem diffusi sunt, *Tr.* ante dispersionem et quidem in oculis totius synagogæ et eorum omnium, qui Christum morti addixerant *N.* Nec illud prætereundum est, quod miraculorum virtute præditi ingentibus prodigiis fidem sibi apud populos, quibus prædicabant, conciliarunt.

Ad 4. Resp. 1. *N.* Paulus enim testatur (I Cor. XV, 8) Christum ita sibi post resurrectionem apparuisse (1), ut ipsum viderit. Marcus ex omnium veterum scriptorum consensu interpretis ac discipulus fuit s. Petri(2); Lucas comes individuus s. Pauli; ab his propterea, ceterisque apostolis et discipulis, quibus conversati sunt, certiores facti fuerunt de Christi resurrectione, quam scripto tradiderunt. Resp. 2. *D.* Per traditionem, id est, per testimonium immediatum apostolorum, ceterorumque Christi discipulorum, *C.* per traditionem proprie dictam et in sensu adversariorum *N.*(3).

II. Obj. Non desunt indicia interna, quæ dubiam saltem Christi resurrectionem evincant; 1. discipuli nesciebant, Christum resurrecturum esse (Joan. XX, 9); 2. dubitarunt de vera Christi resurrectione (Math. XXVIII, 17; Marc. XVI, 11); 3. mulieribus affirmantibus se Christum vidisse nullam fidem adhibuerunt, imo nec decem Apostolis Thomæ; 4. plures occurrunt in historia Christi redivi contradictiones; ergo (4).

(1) Ἐσχάτως δὲ πάντων, ὡς περὶ τῆς ἐκφράσεως, ὡς θη καὶ οὐ.

(2) Atque hinc patet impudentia Wegscheideri (op. cit. p. III, c. 2, § 151, n. c.) dum scribere non erubuit: *Marcus c. XVI, Luc. c. XXIV, Auctor capituli XXI Evang. Joan.* (nempe cum suis una cum novis templariis, de quibus suo loco, rejicit ut spurium cap. XXI Evangelii s. Joan.) et *Paulus apost. I. Cor. XV, 5 et seqq. Jesum tanquam genium caelestem suis apparuisse narrantes, traditionem secuti videntur mythicam, quippe qui ipsi nunquam cum Jesu post ejus in vitam reditum convenissent.* Perinde ac si aliquot sæcula fluxissent a Christi resurrectione, ut debuissent traditionem mythicam amplecti. Stulti! vere *ἀσχετοὶ καὶ ἀνοήτοι, ἡμάρτυροισιν.*

(3) Quid si admitteretur sententia nunc post Basnagium (In *Annal. Polit. Eccl.* ad an. 66. § xv. seq.) inter protestantes biblicos passim recepta, Marcum evangelii scriptorem eundem esse cum Joanne Marco, de quo sermo est in Act. Apost. XII, 12, XIII, 13, XV, 37, cum Célérier (Introduct. au *N. T.* Sect. III), Rosenmüller, Kuinoel, Schmidt, Eichhorn, Bertholdt, etc.? Tunc potuisset sane in hac hypothesi (quam tamen nos parum probabilem habemus, imo ut falsam rejicimus) esse testis oculatus plurimum Christi gestorum ac ipsius resurrectionis, eo magis quod juxta s. Epiphanium (hæresi 51, quæ est *Alogorum* in edit. Petavii) pseudo-Dorotheum et pseudo-Hippolytum aliosque Marcus fuisset unus ex septuaginta discipulis et unus ex illis qui a Christo discesserunt (Joan. VI, 67).

(4) Non possumus admittere, quod Rosenmüller, in *Schol. ad Math.* xxvii, inexit ad conciliandas diversas narrationes evangelistarum, dum inquit: *Quisque evangelista eodem prorsus modo rem narravit, quo ipse primum de ea certior factus fuerat.* Quum autem nullus apostolorum mulieres, primas resurrectionis nuntias, omnes vidisset, alia potius mulieres alios apostolos per dissitas urbis Jerosolymæ regiones adissent, et quæ ipsæ viderant, his exposuissent,

Resp. *Neg. antec.* Ad 1. autem prob. *D.* Juxta intelligentiam scripturarum V. T. *Tr. vel C.* absolute *N.* Loco enim citato Joan. ait: *Nondum enim sciebant scripturam.* Conf. *Matth. XXVII, 63.*

Ad 2. *D.* Quidam et ad tempus, *C.* omnes et semper *N.*

Ad 3. *Neg. cons.* Hæc enim agendi ratio Apostolorum evincit, ipsos neque stupidos neque nimium credulos fuisse. *Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem,* inquit S. Greg. M., *quam fides credentium discipulorum profuit* (1).

Ad 4. *D.* Apparentes, *C.* veræ et reales *N.* Si enim accurate tempora, diversitas apparitionum et personarum distinguantur, omnes evanescent (2). Consulantur interpretes.

III. Obj. Multa sunt, quæ suadent vel nonnisi apparentem fuisse Christi resurrectionem vel phantasiæ jocum in apostolorum Christo addictorum mentibus. 1. Nam ipsi apostoli existimabant se spiritum videre (Luc. XXIV, 37). 2. Discipuli euntes in Emmaus cum non cognoverunt nisi in fractione panis (ib. 31). 3. Januis clausis in cœnaculum introivit (Joan. XX, 19). 4. Maria Magdalene non potuit ipsum tangere (ib. 17). 5. Id confirmant subito illæ ac subsequæ apparitiones, quæ in evangelio referuntur, et quidem sub diversa forma, modo hortulani, modo peregrini, etc., ergo.

Resp. ad 1. *Neg. antec.* ad 1: prob. *D.* Ob timorem conceptum ex subita apparitione intra januas clausas, *C.* postquam confirmati sunt *N.* Ceterum Christus ibidem se et videndum et palpandum eis præbuit, unde factum est, ut omne dubium deposuerint.

Ad 2. *D.* Non cognoverunt ob immutatam formam vel corporis glorificati vel personæ peregrini, quam gerebat, *C.* postea non cognoverunt *N.* Conf. *Matth. XVII, 2.*

Ad 3. *D.* Ad ostendendas dotes glorificati corporis, *C.* quasi verum non habuerit corpus *N.* Nam Thomæ (ib. 27) et cicatrices ostendit et se palpandum præbuit.

Ad 4. *D.* Quia Christus tangi noluit, *C.* quia non potuit, *N.* Conf. *Matth. XXVIII, 9.*

Ad 5. *D.* Et id genus apparitionum arguit pe-

hinc factum est, ut unus has, alter alias *περιελάττει* resciret, et in litteras referret. Hæc enim olent principia Plessing, Eichhorn, Herder, Griesbach, aliorumque recentiorum biblicorum circa fontes ab ipsis excogitatos, unde evangelistæ suas narrationes hauerunt, quos suo loco refellemus.

(1) *Homil. 20 in Evang.*

(2) Has apparentes contradictiones jamdiu veteres ecclesiæ patres conciliarunt. Consulatur inter ceteros Hesyclus jerosolymit. qui, ut invictissime ostendit Combefisius *Ord. Præd. tom. II Auctarii, p. 775,* est verus auctor orationis *De resurrectione Christi,* hætenus Gregorio Nysseno tribuit, quare mirum est adhuc passim protestantes, qui critici sagacissimi haberi volunt, eam citare sub nomine Gregorii Nysseni; ita quidem Kuinoel in *Comment. hist. in cap. XVI Marci;* nec non Beltenius, Griesbachius alique non pauci cum ipso.